

Dießen Rahu.

*De origine,
et utr. latale
Inspectionis
Sectionis
cadaveris
occisi . . .*



Ba. 32. num. 16.

7.
CHRITIANI LVDOVICI LIEBERKÜHN

DISSERTATIO EPISTOLICA:

DE ORIGINE, ET UTILITATE
INSPECTIONIS,
ET SECTIONIS CADAVERIS OCCISI;
CONTRA P. LEYSERVM.

AD

VIRVM PRAENOBILISSIMVM, ATQVE DOCTISSIMVM
CAROLVM GEORGIVM GODOFREDVM GLAVE.

D. II. MAI MDCCLXXI.

HALAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDEL.

11. 4. 06.



GR. HENR. LUDOVICI LIBERTINIANI

D. 15. 15. 10. 1610. 1610.

DE CICERO. ET. ALEXANDRE

HISTORIAS

ET SECTIONIS CIVITATIS DECIMAE

COSMICA. & EPISTOLARIA.

LIBERATIONE. ET. A. D. 1610. 1610.

ET. C. 1610. 1610.

1610. 1610.

1610.

1610. 1610.



Mirifice laetor *Vir prae nobilissime* Te hodie publicum specimen profectuum tuorum edere. Hoc tempore partim opponentis sparta quam benebole in me collocasti; partim denique necessitudo quae inter nos intercedit efflagitare videtur; vt publica acclamatione *Te* concomitem. Scio *Te Vir prae nobilissime* maximopere iure criminali delectari; qua re audias, me de origine et vtilitate inspectionis, et sectionis cadaueris occisi differentem.

A 2

§. I.

§. I.

Quamquam ex antiquissimis temporibus nullae leges scriptae germanorum ad nostra tempora peruerunt; eo tamen non ita facile vti vulgo affirmant, germanos legibus caruisse concludi potest. Perperam solent ad probandam thesin ex Cap. XIX. Taciti de mor. Germ. locos afferre vbi de maioribus nostris dixit – litterarum secreta viri pariter ac foeminae ignorant – et paullo post, plus ibi boni mores quam alibi bonaes leges valent. Litterarum secreta, nil aliud quam litteras amatoria, quod ex antecedentibus sat is patet, significant. Alter locus in fine Cap. XIX. exstat. Minime Tacitus in toto capite de legibus Germanorum loquitur; potius castitatem et pudicitiam maiorum laudat, atque quod per totum librum fecit, cum depravatis moribus Romanorum comparat. ^{a)} Quomodo vnquam igitur illa verba non existentiam legum scriptarum probare possunt. ^{b)}

Ad

- ^{a)} Demonstravit hoc egregie immortalis Christ. Thomasius in diff. de hom. prop. et lib. Germ. §. III. Dum verba bonaes leges Tacitus adiecit, respexit forsitan ad Leg. Iul. Pap. Pop. de Adul.
- ^{b)} Fecit tamen hoc Illust. Ch. Fr. Kochius in Iust. Iuris Crim. §. I.

§. II.

Ad antiquissimas quae naufragio euaserunt leges pertinet Lex salica. Poni solent leges ante regnum Pharamundi fadis ridicule, quia bonus Pharamundus originem chronicis supposititiis dehet. Leges ipsae circa annum 422. latae; collectio vero posterioribus temporibus facta fuit. Implicite inspectionem cadaueris occisi necessariam reddunt. Prouoco ad Tit. XLV. no. 3. de hom. a cont. fac. Quod si corpus occisi hominis tres plagas vel amplius habuerit. — Ex Tit. LXXV. de mul. grau. ouisa. no. 1. et si probatum fuerit quod partus ille puer fuerit — sectio iam cognita fuisse videtur. Sed lex procul dubio ad singularem casum, quando foemina in agone abortum fecit respicit. In legibus Baiuariorum Frisionum Ripuariorum Burgundionum et Saxonum quas ex malo intellecto loco Wipponis, crudelissimas vocant c) de inspectione nonnunquam haud obscure; de sectione vero non agitur.

§. III.

Sequuntur hasce leges Capitularia regum Francorum. Quamquam tum de poenis tum de ipso Processu criminali disponunt; in illis tamen nihil de inspectione et sectione inuenire potui. Extincta rebellica stirpe Carolingorum, harum

A 3 le-

c) Vid. Christ. Thomasius in diff. de vera orig. nat. prog. et inter. iudiciorum Westphal §. III. not. K.

legum auctoritas mox euanuit; et ius magis incertum introductum fuit in foro Criminali. Sequentibus temporibus orta fuerunt, praesertim in Germania antiqua, iudicia Westphalica, coram quibus inspectio et sectio vix necessaria erat; quia iuramentum Scabini accusatoris, delatum tali criminе pollutum esse sufficiebat. Longe ante illa tempora iam Ius Canonicum non parua gaudebat auctoritate in Germania, atque in illo etiam prima vestigia Inspectionis ad inde deducendum iudicium de lethalitate vulnerum suppeditat Clemens in Cap. 12. X. de hom. nec non Innocentius III. in Cap. 18. X. de hom.

§. IV.

Post Ius Canonicum etiam proh dolor! Ius romanum auctoritate Doctorum et per artifacia Caesarum introductum fuit. Romanis non incognitum fuisse iudicium de lethalitate vulnerum luculenter patet ex Cap. 84. Iul. Caes. Suet. nec non ex Cap. CXXIII Lib. I. An. Taciti. In Corpore iuris tamen vix de hac materia mentio facta fuit. Nam Lex. 30 §fin. ad Leg. Aquil. loquitur de seruo, qui tanquam res considerandus erat, et de quo reus nisi ob vulnus illatum mortuus esset ultra damnum datum obligari non poterat. Idem dicendum est de Leg. 52. prin. ff. ad L. Aq. quare in Criminalibus minime ad illas in subsidium recurrendum est.

est. Contrarium tamen suadet b. Fer. Aug. Hommelius
in diss. de lethal. vulnerum. §. II. p. 16.

§. V.

Fuit propria nobilium germanicorum laus, quod summo studio contenderint, ne leges ac consuetudines a iure peregrino in exilium agerentur. Sufficit ad Propositum nostrum commentatores speculi Saxonici et Sueuici nominare. Ius prouinciale Saxonum, inspectionem, immo deportationem cadaueris occisi in iudicio nudis verbis requirit in Lib. II. Art. LXIV. et in Lib. III. Art. XC. In speculo sueuico nec de inspectione et eo minus de sectione verbum inuenire potui. Tandem Carolus V. in Comitiis Ratisbonensis rebus criminalibus aliam plane faciem induit, dum saluis cuiuscunque territorii iuribus Constitutionem criminalem publicauit. Nostrum non est de naevis, huius Constitutionis disputare. Verba nobis facienda sunt de Art. CXLVII. et CXLIX. qui de nostra materia agunt.

§. VI.

Illi qui cum aliqua attentione et sine praeorcepta opinione Art. CXLVII. legunt; facilime perspicere possunt, quod iudicium medicorum et artis peritorum, ibi modo in singulari casu requiratur. Idem valet de Art. CXLIX, cuius initium: *Und damit dann in obgemeldeten fassen* – hoc statim probat. Eandem Sententiam fouet Illust. C. F. Kochius
in

in supra cit. lib. p. 514. verb. Accipe nouam coniecturam. Vir doctissimus saepe coniecturas antiquas prouis vindicat. Illa legi iam potest in Hen. a Boden diff. de non req. lethal. vulnerum §. X. et XI. Auctoritate tamen horum Articulorum, nec non iuris Canonici, sectio hodie merito vbiique introducta, et recepta est; ita ut illa omissa poena ordinaria vix locum habeat. Differt tamen modus sectionis fere in omnibus territoriis, immo ita ut contra expesam Caroli V. sanctionem ex consuetudine norica, neque iudex, neque scabini, neque actuarius regulariter praesentes sint; teste I. Frid. Dannreuthero in obs. de Crim. quorun. poenis, Cap. V. §. 2.

§. VII.

Ausi sumus cum H. Bodino contra auctoritatem Art. CXLIX. C. C. C. insurgere. Nolumus tamen eo, cum illo concludere sectionem frustraneam esse; ita ut potius quantum hoc limites propositi nostri permittunt virilitatem illius demonstrare velimus. Res nobis erit cum grauissimo aduersario; nempe cum viro qui olim Iuliae Carolinae decus erat in medicis atque iuridicis aequa versato, Policarpo Leyfero, qui in dissertatione de frustranea Cadaueris occisi Inspectione, Helmst. 1723. def. varia argumenta contra sectionem protulit: quae vti docte iudicauit Illust. I. S. F. a Boeh-

a Boehmer in diff. de leg. Cad. occi. Se^t. §. I. facillime lectorum in suas partes trahere possunt. Eo certius igitur ingeniose excogitata P. Leyseri argumenta accurata perscrutatione digna esse videntur.

§. VIII

Omnis poenae fundamentum quaerendum et figendum esse in perpetrantis conscientia et voluntate, ad effectum vero nunquam respiciendum esse, audacter contendit P. Leyserus §. VII. ut eo facilius, auctoritatem sectionis euertere possit. Fulcrum sententiae suae est, tota L. 7. ff. ad L. C. de sic. vbi statim in initio, dicitur: ad dolum non ad factum respiciendum esse in delictis. Ob disparitatem status, tamen leges romanae, vix in praxi criminali applicari possunt; quod in specie de L. C. de sic. valet. Respxit nempe lex solum ad id quod in vrbe Roma propius mille passus factum fuit. Vberius hoc demonstrauit illust. b. S. P. Gasser in leg. dissertatione de per. poena hom. §. IV. nec non A. E. Rosmannus in diff. de dolo pro facto punito, qui ex instituto de tota hac lege egit. Ad quod accedit quod C. C. C. fere semper effectum ad poenam ordinariam inferendam requirit.

B

§. IX.

§. IX.

Idem sentit An. Mathaei in eleg. libro de probationibus Cap. I. n. 63. Excipit tamen cum multis aliis crimina atrocia, quibus merito beneficium annumerat; et in illis conatum ultimo supplicio affici debere affirmat. Mirandum quod P. Leyserus inde etiam utilitatem sectionis non reiecit. Facile tamen refutandus fuisset; quia poena ordinaria in beneficio fere nunquam sine iudicio medicorum locum habet. Hoc iudicium vero minime ex solis signis externis, quae etiam a causis internis absconditis generari possunt certum est; quare sectio omnino instituenda est. Dissecto enim Caudere, saepissime inueniuntur signa indubitata, quando ex. g. ipsum venenum adhuc in ventriculo adest, aut adfuisse experimentis idoneis cognoscitur.

§. X.

Audiamus iterum P. Leyserum qui §. XIII. affirmat sectionem hominis in duello necati nunquam necessariam esse. Recurrit ad falsum principium suum de poena inferenda secundum conatum, quod in hoc speciali casu eo tutius esse affirmat, quia principum decreta prouocato et euoca-

to



to, si etiam vterque immunis euaserit ultimum supplicium dicunt. Adiicere ad probandam hanc thesin merito P. Leyserus illa principum decreta debuisset. Nos in omnibus contrarium inuenimus. Audiamus Pot. Bor. Reg. Mandatum wieder die Selbst Rache ren. de dato den 28. Jul. 1723. vbi quantum in illo ad iudicium de lethalitye vulnerum respicitur docet Art. VII. verfürbe aber einer der Duellanten und es würde die Wunde nicht lethal besunden -. Ad hoc iudicium etiam respicitur in Mandato El. Sax. wieder die Selbst Rache de 1712 §. 40. Der Mörder soll wenn die Wunde lethal. - Im Fall aber die Wunde nicht vor lethal besunden. - Responsione igitur parum digna est P. Leyseri quaestio, cui usui sectio instituatur in hominibus duello occisis.

§. XI.

Exclamat Noster sectionem quoque frustraneam esse in Casu , quando puella aggressorem honoris seu violatorem pudicitiae necauit. Adiicit rationem quod puellae licitum sit, stupratorem impune occidere si aliter extricare sese non possit. Sententia non in legibus fundata est sed soli

B 2

opi-

opinioni Doctorum originem debet. Quare etiam non
desuere cordati viri qui contrariam opinionem grauissimis
argumentis defenderunt. Egregie hoc argumentum tracta-
uit I. H. Sibrandus in dis. an stup. violentum illaesa consci-
entia occidere liceat. Accedit nostrae sententiae et refutat docte
aduersarios. Maxime igitur sectio necessaria est, quando
heroina virginitatem tuens agressorem honoris occidit,
praesertim quia virgine nolente vix stuprum consummari
queat.

§. XII.

Primo intuitu parum ex sectione infantis recens natu-
re concludi posse, videtur. Frustraneam illam esse affirmant,
ob incertitudinem experimenti pulmonum natantium, deni-
que etiam quia plurima signa mortis violentae inter quae ne-
glectam funiculi vmbicalis deligationem numerant, falla-
cia esse contendunt. Nemo facile negabit experimentum
pulmonum natantium fallax esse, quod vero funiculi vmbi-
calis neglectam deligationem attinet quam periculosa sit;
quam facile ex hoc neglectu haemorrhagia mortalis sequi
possit, egregie demonstrauit, facultatis medicae nostraræ de-
cuss

cus, ill. et nostris laudibus maior vir, P. Ad. Boehmer in diss. de necessaria funiculi umbilicalis viasorum structurae in nuper natis deligatione. Hal. 1745 r. sp. doct. Io. Burchart habita. Accedit quod eo non sequitur totam sectionem reiiciendam esse; potissimum cum certe ex aliis signis quae in cel. M. Alberti Iurisp. med. T. I. C. IX. p. 189. legi possunt indubit anter, an partus vixerit? an non? concludi liceat. Egregia exempla quae luculenter demonstrant quantam utilitatem sectio in infanticidio praestet, praebet sup. laud. M. Alberti in Tom V. Cas. V. et VI.

§ XIII.

Reicit denique P. Leyserus simul cum H. a. Boden sectionem, ob incertitudinem iudicij de lethalitate vulnerum. Quamquam nonnunquam casus dubii plerumque tamen certitudo et nulli dissensus inter Medicum et Chirurgum secantem adsunt, et si adsunt tunc ad facultatem medicam recurrentem esse docet praxis. Optat D. B. Mauchart in diss. lethalitas per accidens §. 20. vt casus lethaliatis accidentalis, reliqui casus, vnanimi ICTORUM consensu, et autoritate supremi Iudicis determinentur. Impossibilem esse explanationem

tionem huius voti docet sana ratio illos, quos non fugit varietas maxima vulnerum et varia illorum lethalitas.

§. XIV.

Antequam materiam nostram mittamus, a proposito nostro non alienum erit, nonnulla verba de vero fine, cur sectio legalis instituatur facere. Illum fere plane ignorare videtur P. Leyserus. Praecipiunt leges romanae et germanicae, quod primum de corpore delicti constare debeat, quantum fieri potest, antequam de illo iudicium instituatur. Natura inspectionis et sectionis vero docet, quod potissimum per illas de certitudine corporis delicti constat, testibus non raro plus vel minus deponentibus quam ex illa appareat. Quomodo fine inspectione et sectione iudex certus esse potest, vulneratum ex vulnere, vel fato naturali decessisse? Cognitio, quae hodie utique requiritur, quia non solus conatus; sed effectus ipse summo supplicio puniendus est. Quanto auxilio denique iudici est, si de situ vulneris an in tergo? an in pectore inflictum fuerit? rite instructus est. Ad quod accedit quod vulnera et laesiones capitis saepissime per solam incisionem pateant; quare etiam quod tamen in praxi non fit quando

quando nulla signa violentiae adsunt, si non sectio, apertura capitis tamen suadenda est. Obseruauit casum, hanc rem affirmantem vir celeb. I. F. Daniel apud Hallenses Practicus famigeratissimus in sectione legali, alio loco, monente chartae angustia, proferendum. Mitto nunc virum iam inter coelites versantem P. Leyserum, cuius merita omnibus qui res patrias amant nota sunt; cuius vnicus libellus de contrasigillis medii aevi demonstrat, quantum beato viro illae debeant.

Iam me ad aliud laetum officium conuerto. Redeo ad *Te Vir prae nobilissime*, *Tibi* ex intimo cordis affectu gratulor de honoribus qui hodie in *Te* redundant. Gratulor *Illustri Patri Tuo et Toti Amplissimae Familiae Tuae* de membro docto. Immo gratulor patriae quae merito de *Te* bene sperat. Gratulor denique mihi de *Tua* amicitia, quam ut mihi etiam in posterum, et absens conseruare velis rogo. Quod reliquum est, me ad quaecunque officia quae ab amicitia nostra postulari possunt, semper habebis paratissimum. Vale. Dabam in Regia Frideriana. D. II.
Mai. MDCCCLXXI.



Ng 36

7.
CHRITIANI LVDOVICI LIEBERKÜHN

DISSERTATIO EPISTOLICA:

DE ORIGINE, ET UTILITATE
INSPECTIONIS,
ET SECTIONIS CADAVERIS OCCISI;
CONTRA P. LEYSERVM.

7. 498.

Fig. 36

AD

VIRVM PRAENOBILISSIMVM, ATQVE DOCTISSIMVM
CAROLVM GEORGIVM GODOFREDVM GLAVE.

D. II. MAI MD CC LXXI.

HALAE
TYPIS IOANNNIS CHRISTIANI HENDEL.

11. 4. 06.

